

per hoc humiliter porrectis inclinati, responsum, seu dubiorum prædictorum resolutionem hujusmodi auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, decernentes illud, seu illam, nec non præsentem litteras valida, firma, et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque, et juxta illa per quoscunque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 14 Augusti, anno 1627, pontificatus nostri anno quinto.

(110. Valida sunt matrimonia, quæ catholici v. g. mercatores, aut peregrini contrahunt sine præsentia parochi aut testium in locis infidelibus, ut in regno Turcarum, Persarum, et hujusmodi, aut in locis hæreticis, ubi nunquam fuit publicatum conc. Trident., ut in Saxonia, Prussia, Suecia, Anglia, Scotia, Dania, Pomerania, et aliis partibus septentrionalibus, quæ jam ante concil. Trident. a vera fide defecerant. *Communis*: et sic declarasse sac. congregat. Concil. refert Bosco part. v, disp. 11, sect. 9, conclus. 3, et sic respondit episcopo Tricaricensi ad 1 dub., 19 Jan. 1605, v. gr. in Hollandia, Zelandia, Frisia, et hujusmodi. (111. In locis autem hæreticis promulgati conc. Trident. si parochus, aut episcopus, vel alius sacerdos ab ipsis deputatus haberi non potest, ad valorem matrimonii requiruntur nihilominus duo testes, quia isti facile haberi possunt. Sic declaravit sacr. congregat. Concil. et respondit episcopo Tricaricensi 19 Januarii 1605, ad quartum, et quintum dubium, ibi: « *Quarto*. Ubi etiam constat decretum concilii esse observatum, sed parochialis ecclesia, utpote vacans proprio parochi careat, et cathedralis itidem episcopo atque capitulo, habentibus a concilio facultatem alium sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices parochi vel episcopi suppleat, matrimonium valere absque præsentia parochi; servata tamen in eo in quo potest forma concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. *Quinto*. Si existant quidem parochus et episcopus, sed nullo constituto vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubinam sit, vel eodem metu a diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque forma concilii, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus. »

(112. Hæretici quoque, in locis ubi publicatum est concilium Tridentinum, tenentur observare formam indictam ab ipso pro contrahendis matrimoniis, unde, si sine præsentia parochi et testium ibi contrahant, eorum matrimonia sunt nulla. Sic respondit

sacra congregatio Concilii episcopo Tricaricensi 19 Januarii 1605, ad tertium dubium, ibi: *Tertio*: « Hæreticos quoque, ubi decretum dicti c. 1, est publicatum, teneri talem formam observare, et præterea ipsorum etiam matrimonia absque forma concilii, quamvis coram ministro hæretico, vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse; » et similiter declaravit in *Ruremondensi matrimonio*, die 2 Martii 1676, ubi declaravit nullum matrimonium contractum coram magistratu sæculari in loco ubi concilium Tridentinum est receptum, et parochus commode haberi et adiri poterat. (113. Sunt autem valida matrimonia hæreticorum contracta sine præsentia parochi et testium in locis ubi non fuit publicatum Tridentinum, et sine præsentia parochi in illis locis in quibus, quamvis sit publicatum, parochus tamen, aut episcopus catholicus, seu alius sacerdos ab ipsis deputatus non invenitur, nec potest tutus ad eum haberi accessus, dummodo in illis locis promulgati concilii adhibeantur duo testes. *Communis*, et patet ex allatis declarationibus sac. congr. sub n. 99 et 100.

ADDITIONES CASINENSES.

Præstat demum de parochi sequentia notare: « Parochus cognito impedimento (quod inter contrahentes matrimonium intercedat) tenetur prohibere matrimonium (hujusmodi), et remittere ad episcopum, vel ejus officialem, neque potest assistere Sanchez, lib. III, *De matrim.*, disp. 25; Mart. Perez, d. 43, sect. 7, num. 9, etc., contra Pontium. Nisi tamen ex sola confessione nosset, tunc enim nullo modo posset negare matrimonium, sive publice, sive privatim petenti, neque illum admonere officii extra confessionem; licet in confessione posset ac deberet. Et tunc, si quidem sine magno scandalo a matrimonio non possent desistere, nec vellent, suadere ut contrahant communi consensu, sub conditione, si Papa dispenset, animo tantisper cohabitandi ut fratres (non autem quoad torum), donec accedat dispensatio, et iterum contrahant. Ita ex Beja, Pontio... et Perez... qui addit, si id omnino nolint, persistentique petere, debere parochum assistere. » Bussembaum apud D. de Ligorio, *Theol. moral. de matrim.*, n. 1031.

« Dubitatur 1. an parochus, si ipse solus noverit impedimentum, teneatur impedire matrimonium publice petitum? Si impedimentum denuntiatur ab aliis, certum est ex cap. fin. *De clandestina dispensat.*, teneri parochum interdicere nuptias, et rem ad ordinarium deferre, ut ille cognoscat. Dubium fit, si solus parochus impedimentum sciat extra confessionem, an possit, et teneatur nuptias impedire? Negat Pontius... quia nemo tenetur denunciare quod probare non potest. Assistent tamen verius Sanchez. Boss. Roncaglia, etc. Ratio, quia, si quilibet tenetur impedimentum revelare, etiamsi ipse solus illud sciat, a fortiori tenetur parochus, cui ex officio incumbit consulere salutem suarum ovium. Nec obstat quod pecca-

tori occulto, publice petenti sacramentum, illud non est denegandum; nam respondetur cum auct. cit. quod hoc procedit, quando impedimentum duntaxat reddit illicitam sacramenti susceptionem, secus vero, si impedimentum (præter susceptionem) præbet occasionem aliorum damnorum, et culparum. » D. de Ligorio, *l. cit.*, n. 1002.

« Dubitatur 2. an ordinarius, qui solus conscius sit impedimenti, teneatur matrimonium impedire? Sanchez, Pontius, etc., sentiunt eum nec teneri, nec posse, quia nemo potest esse iudex et testis. Sed probabilius affirmant Bonac... Escob. cum Leand... et Salmat. cum Aversa, Trull., Dic., etc. Ratio, tum quia bene potest esse aliquis iudex et testis, quando agitur de peccato impediendo; tum quia eo casu saltem potest ipse ordinarius deferre impedimentum ad iudicem superiores (et etiam ad suum vicarium, ut aiunt Salmatic. cum auct. cit.), ut ille iudicium proferat, et ad hoc ipse episcopus tenetur, ut impediatur peccata quæ ex matrimonio invalido orientur. » D. de Ligorio, *ibidem*, n. cit.

Parochus a contracturis matrimonium exigat oportet scientiam doctrinæ Christianæ, saltem eorum quæ ad salutem sunt necessaria.

Audiamus Benedictum XIV, qui hæc tradit. « (Quidam theologi) cum ignorantiam doctrinæ Christianæ non invenerint in vulgatis versiculis, in quibus enumerantur impedimenta matrimonium impediunt, asserere proinde non dubitarunt, neminem posse, ob illam solam, a matrimonio celebrando cohiberi. Ita docuit Thomas Sanchez lib. III *De matrim.*, disp. 15, n. 9, inquit: « Nescio tamen qua ratione possit (episcopus) ob hanc ignorantiam arce aliquos a matrimonio contrahendo, cum ipsius non sit impedimenta matrimonii statuere, nec hoc impedimentum ab Ecclesia statutum sit: » et sequitur Diana...

« Verum huic doctrinæ et Rituale Romanum, et S. Carolus Borromeus, et quamplurimæ episcopales synodi, ac Summorum Pontificum edicta adversantur. Etenim Rituale Romanum tit. *De matrim.*, de iis loquens qui matrimonio sunt jungendi, ait: « Uterque sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere debeant. » S. Carolus in concilio provinciali Mediolanensi V, part. III, *Act. Eccl. Mediol.* part. I, pag. 287, hæc statuit: « Parochus, quos sponsos experiundo viderit doctrinæ Christianæ rudimenta plane ignorare, ne matrimonio illos ante jungat, quam ea item ratio ne cognovit didicisse, quæ eo de genere illos plane scire oportet: » quæ verba advertens Franciscus Amatus Pouget, *Instit. catholic.*, tom. II, part. III, sect. 1, cap. 8, § 5, n. 6, inquit: « Non accedendum prius ad connubii legem quam teneantur præcipua religionis mysteria, Christianæque vitæ ratio, et conjugatorum officia probe noscantur. » In archiepiscopali Bononiensi cardinalis Gabrielis Palæoti, part. III, pag. 157, cavetur ne parochus ad tertiam deveniat matrimonii de-

nuntiationem, nisi certo noverit sponsos principalia fidei nostræ mysteria didicisse, et saltem « Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolicum, et præcepta Decalogi memoriæ mandasse. » Idem edixere innumeræ synodi collectæ a Genetto, *Theolog. Moral.* tom. V, tract. 9, cap. 2, quæst. 17, quibus addimus synodum Farfensem, habitam anno 1685 a cardinali Barberino; Cæsenatensem habitam anno 1693, a cardinali Denhoff, Neapolitanam habitam anno 1694, a cardinali Cantelmo, Ariminensem habitam anno 1724, a cardinali de Via, Neapolitanam habitam anno 1726, a cardinali Pignatello, Sabinensem habitam anno 1736, a cardinali Albano, omnes ad titulum *De matrimonio*. Ac demum congregatione habita coram san. mem. Innocentio XII, anno 1697, decretum est non esse a parochis matrimonium in ecclesia proclamandum, nisi antea sponsos repererint in Christianæ religionis rudimentis sufficienter instructos; quod quidem decretum confirmatum fuit a fel. rec. Clemente XI in suo *Bullario*, pag. 326. Idem edixit cardinalis de Rohan in suo *Rituale Argentinensi*, ad tit. *De matrimonio*, pag. 254, ubi parochos diligenter investigare jussit « an matrimonio jungendi teneant rudimenta fidei. » Ac denique Nos ipsi in nostra encyclica Epistola ad universos episcopos, quæ est 42 in nostro *Bullario*, § 11, tom. I, hæc scripsimus: « Verum, cum matrimonio jungendi non sint, si parochus, ut debet, prius interrogando, deprehenderit marem seu feminam quæ ad salutem necessaria sunt ignorare; vix tantæ ac tam luctuosæ ignorantie locum relinquet episcopus, qui pastores animarum ad moneat officii sui, et, huic si desint, negligentia repetat pœnas. »

«... Neque in contrarium facit quod aiebat Sanchez, nimirum, non posse episcopum nova impedimenta, matrimonium impediunt, statuere: huic enim difficultati in primis reponimus, ab episcopo repellente a matrimonio contrahendo ignorantes Christianæ religionis necessaria rudimenta, nullum de novo poni impedimentum, sed illud explicari et inculcari quo iidem jam continentur: enimvero cum matrimonium inter fideles unum sit ex septem novæ legis sacramentis, a Christo Domino institutis, atque e numero eorum quæ dicuntur *vivorum*, nemo, sine gravi sacrilegio, illud celebrare potest in statu peccati mortalis, quod optime perpexit Didacus Covarruvias super 4 *Decret.* part. II, *De matrim.*, cap. 6, in princ., inquit: « Existens in mortali crimine, non potest, absque novo peccato, matrimonium contrahere, tractat enim indecenter sacramentum hoc maximum: » nec parochus licite eidem matrimonio assistit; quamvis enim, juxta communiorum magisque receptam sententiam, non sit sacramenti matrimonii minister... nihilominus in multis comparatur ministro; nec licite sua præsentia, et auctoritate firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri, quemadmodum prosequitur

cardinalis de Lauræa, in 4 sent., tom III, disp. 22, art. 22, n. 549, et pluribus Franciscus Maria Muscettola, archiepiscopus Rossanensis, in sua dissert. *De sponsalibus et matrimoniis*, quæ exstat post secundam impressionem *Observat. bon. mem. Zauli ad Statuta Faventina*, iterumque edita est Neapoli anno 1742. Qui autem fidei rudimenta ignorat, quæ ex gravi præcepto scire tenetur, quandiu illa non addiscit, cum potest, versatur in statu peccati mortalis, ac propterea jure ac merito a matrimonio contrahendo arcetur.

« Deinde idem Sanchez cit. disp. 15. n. 5, et lib. vii, disp. 6, n. 6; Basilius Pontius, *De matrimonii*, lib. vi, cap. 7; Gaspar Hurtado, disp. 25, difficult. 1, n. 1, et Perez *De matrim.*, disp. 23, sect. 1, n. 1, non solum in episcopo, sed etiam in paroco facultatem agnoscunt impediendi ad tempus matrimonium ex aliqua rationabili causa, puta ad sedandum scandalum, vel ad detegendam alicujus objecti impedimenti veritatem; nec tamen inde confici autumant verum et proprium impedimentum, eorum auctoritate, matrimonio apponi: siquidem illa prohibitio temporaria est, atque, ablato scandalo, et detecta falsitate objecti obstaculi, sine ulla dispensatione cessat et exstinguitur. Idem autem contingit in re nostra: episcopus enim ignorantibus Christianæ religionis instituta et præcepta matrimonium interdicit, solum ad tempus; donec scilicet illa eddiscant: quod si hæc prohibitio diuturna sit et perseveret, id per accidens est, atque unice oritur ex culpa eorum, qui illis erudiri aut recusant aut negligunt. »

Unum tamen advertendum addimus, quod recte consideravit Giribaldus, *De sacram. matrim.*, tract. 10, cap. 3, dub. 13, n. 111, nimirum quandoque evenire ut quis præcipua fidei nostræ mysteria et sciat, et credat, cætera pariter, quæ necessitate præcepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit; sed, quia hebetis est ingenii et exilis memoriæ, post omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere, et recitare non valeat: in hoc autem rerum statu, non debet perpetuo arceri a matrimonio, quod est institutum in officium naturæ, et propterea nemini, sine propria culpa, est denegandum; sed curabit parochus ut qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat quæ semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabatur. Inter celeberrimas constitutiones Gibertinas, editas a Joanne Mattheo Giberto, episcopo Veronensi, quas alibi commendavimus, tit. 5, cap. 23, legitur: « Cum autem quilibet Christianus Orationem Dominicam, Symbolum apostolorum, et præcepta Dei atque Ecclesiæ scire debeat, retinendo saltem sensum, et sacerdotibus ac prædicatoribus munere sibi imposito, prout tenentur, fungentibus, nullus se in veritate excusare poterit, quod, a quo necessaria ad salutem addiscere possit, non habeat. Ideo præmissa nescientes, ut magis confundantur, etc. in faciem Ecclesiæ ad matrimonium contrahendum non admittan-

tur: ubi cardinalis Augustinus Valerius in notis ad rem subdit: « Adverte non esse arcendos, etc., qui, ut necessaria ad salutem perdiscant, faciunt quod in se est, sicuti qui scholas doctrinæ Christianæ frequentat: quia, non ob incuriam aut negligentiam; sed ob ingenii memoriæ imbecillitatem ea non addiscunt. » *De synod., diac.*, lib. viii, c. 14, n. 2 et seqq.

(114. Raptus impedimentum est statutum a Tridentino sess. xxiv, *De reformat. matrimonii*, cap. 6, his verbis: « Decernit sancta synodus, inter raptorem et raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere matrimonium; quod si rapta, a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et si clerici fuerint, de proprio gradu decedant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. »

(115. Raptus dirimens matrimonium est violenta abductio feminæ in ordine ad contrahendum matrimonium. Est in re communis. (116. Violentia inducens raptum est non solum physica, v. g. per violentam manuum injectionem, sed etiam moralis, v. g. per minas aut gravem metum. *Communis*.

(117. Ad hoc, ut inducat impedimentum dirimens, debet talis violentia probabilius esse illata ipsi feminæ raptæ; nec sufficit si sit illata solis parentibus aut tutoribus. Unde, si puella volens et consentiens abducatur, quamvis sint inviti, et reclamant parentes, seu tutores, non oritur impedimentum raptus; Sanch., l. vii, disp. 13, n. 13; Coninch, disp. 41, n. 48; Perez, disp. 38, sect. 4; Spor., tom. III, par. iv, cap. 13, sect. 1, num. 28; Reiffenst., lib. iv *Decret.*, tit. 1, n. 374; Pignatell., t. V, consult. 80; Gobat, n. 546; Mastrius, n. 108; Krimer, n. 514; Kugler, n. 1633; Uvex, num. 42; Aloysius Riccius, resolut. 342, n. 5, par. 4; Hurtad., disp. 23, diffic. 3, vers. secundo; La Croix, lib. vi, par. iii, n. 628, cum Aversa, Lessio, Reginald., Tanner. ab ipso citatis. Et ratio est, quia Tridentinum præcise intendit cavere ne lædatur libertas matrimonii, quæ utique non læditur, si puella libere consentiens abducatur, quamvis violentiam seu vim patiantur parentes, vel inviti reclamant, cum libertas puellæ nubere volentis non dependeat a voluntate parentum et validissimum sit matrimonium contra eorum voluntatem ab ipsa contractum, ut decrevit ipsum concilium Tridentinum cit. sess. xxiv, *De reformat. matrimonii*, cap. 1, anathematizando contrarium sentientes, ibi: « Eos sancta synodus anathemate damnat. . . qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. » Tum quia Tridentinum statuit impedimentum raptus cessare,

si femina rapta sit « separata a raptore, et in loco tuto ac libero constituta: » sive restitatur parentibus, sive non; et ideo etiam cap. *Cum causam 6, De raptoribus* Lucius III statuit, ut sequitur: « Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamant, a quibus eam dicitur rapuisse. »

(118. Non desunt tamen magni nominis doctores, qui contrarium sustinent, nempe, quod raptus feminæ consentientis, si sint inviti parentes, dirimat matrimonium. Sic Barbosa, *Super concil.*, sess. xxiv, *De reformat.*, cap. 6, n. 3, cum Salzedo, Henriq., Vega, Cardin. Tusch., Zerola, Petro Ledesma, Rebello, Guttier., Bonacina, ibi citatis; Navarr. lib. v, cons. 2, n. 1 *De raptoribus*; Molina, Henno, et alii, et consensit card. de Luca, *De matrim.*, disc. 5, et ad *Trid.*, discours. 28, pro casu quo non præcesserunt sponsalia, vel tractatio matrimonii ineundi, et secundum S. Thomam 2-2, qu. 154, art. 7: « Quandoque violentia inferitur patri, sed non virgini, puta cum ipsa consensit, ut ipsa per violentiam de domo patris abstrahatur. . . qualitercunque enim violentia adsit, salvatur ratio raptus. » Ast ex dictis patet, ut recte advertit La Croix *loc. cit.*, et alii, quod S. Thomas ibi vult tantum tunc quomodocunque puellam raptam parentibus, sed non ideo est raptus dirimens matrimonium, cum non præjudicet puellæ libertati, quam tantum Tridentinum vult ibi salvari, nihil reflectens ad consensum parentum, quibus etiam invitis, et contradicentibus, potest validissime matrimonium contrahere ex ipsomet concilio cit. sess. xxiv, cap. 1, per textum numero antecedenti adductum.

(119. Conveniunt tamen omnes, quod, si puella consentiens et volens abducatur in seiscis parentibus vel tutoribus, ita ut neque puellæ ipsi, neque parentibus vis inferatur, licet his adhuc injuria fiat, non fit raptus dirimens, quia raptus, sicut et rapina aliquam violentiam continent, ut ex communi notat Navar. lib. v, consil. 3, n. 1, *De raptoribus*; Sanchez, lib. 7, disp. 12, n. 36; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 373; Layman, lib. v, tract. 10, part. iv., cap. 13, arg. cap. *Cum causam 6, De raptoribus*. (120. Sic etiam omnes conveniunt quod non sit raptus dirimens matrimonium, quando post tractatum de matrimonio legitime contrahendo, vel post sponsalia jam contracta abducitur puella consentiens de domo patris, seu tutoris, quamvis inviti et reclamantis, ut expresse respondit Lucius III in cap. *Cum causam 6, De raptoribus*, per verba præcisa adducta sub n. 119, in fine. (121. Quando puella quæ rapitur erat prius raptori desponsata, licet ipsa, proposito mutato, sit invitata, adhuc negant oriri impedimentum; Barbosa, in cap. *Cum causam 6, De raptoribus*, et *supra concil. Tridentin.* sess. xxiv, *De reformat.* cap. 5, n. 6; Farinac. Henriq., Fr. Emmanuel, Joseph Sessa, Rebello, Lessius, Genuensis, Molfesius ab ipso Barbosa citati

et alii cum Tamburin., lib. vii, in *Decalog.*, cap. 6, § 2, n. 15, arg. cit., cap. *Cum causam 6, De raptoribus*, ibi: « Iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, et prius eam desponsaverit quam cognoverit. » Et ratio est, quia talis puella prius desponsata cogitur ad id quod facere tenebatur. Quæ sententia tenenda est, præsertim si sponsa nullam habeat justam causam resiliendi; secus vero non; Gobat, cas. 19, n. 554; Sporer, *loc. cit.*, n. 27; La Croix, *loc. cit.*, 637, et alii cum Krimer, n. 514, quia, cum sponsa justam causam habet resiliendi, si invita rapiatur, fit ei vera violentia raptus impedimentum inducens, eo vel maxime, quod Sanchez, Aversa, Escobar, Hurtado, et alii velint simpliciter et absolute oriri impedimentum ex raptu, quo sponsus rapit propriam sponsam invitam.

(122. Raptus factus non causa contrahendi matrimonium cum rapta, sed solum causa libidinis explendæ, non dirimit matrimonium; Sanchez, lib. vii, disp. 13, n. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 377; Barbosa, *super Tridentin.*, sess. xxiv; *De reformat.*, cap. 6, n. 2; Salzedo, Fr. Emmanuel, Vega, Lessius, Molfesius, Reginald., Guttier, Hurtad., citati a Barbosa, *ibid.*; Sporer, *loc. cit.*, n. 29, et alii plures cum Tambur., *loc. cit.*, n. 11; Gobat, *loc. cit.*, n. 542, et alii, cum La Croix, *loc. cit.*, n. 631, ubi ex Gallemart in declaratione ad eum locum refert a sacra congregatione Concilii decisum fuisse 23 Jan. 1586 raptos ob aliam causam, quam, ut in uxores ducant, non comprehendi a Tridentino illi infligente pœnam excommunicationis. Et ratio est, quia concilium eo decreto nihil intendit, nisi libertati matrimonii providere, adeoque agit de solo raptu et violenta abductione puellæ ad contrahendum matrimonium; Sa tamen, Bonacina, et alii cum Platell., n. 1179, tenent contrarium.

(123. Raptus dirimit matrimonium, etiam si femina rapta non sit virgo, sed corrupta, vidua, conjugata, inhonesta, vel etiam meretrix; Barbosa, l. cit., num. 4, cum Bonacina; Reginald., Sanchez, ibi citatis; Bosco, *De impedim. matrim.*, disp. 12, sect. 9, concl. 4; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 375; La Croix, *loc. cit.*, num. 637, et alii passim. Et ratio est, quia concilium *loc. cit.* non attendit ad qualitatem virginis, seu honestæ, sed solum ad libertatem cujuscunque feminæ respectu matrimonii; universaliter enim et indistincte de rapta loquitur, et ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; l. *De pretio*, ff. *De publiciana in rem actione*, et verba generalia generaliter sunt intelligenda; c. *Quia circa 22, De privileg.*, præsertim ubi, ut in præsentibus, est eadem ratio; arg. l. *Ideo*, ff. *De legib.*

(124. Raptus, quo femina rapit virum, non dirimit matrimonium; Sporer, *loc. cit.*, num. 30; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 376; Barbosa, *loc. cit.*, num. 5, cum Farinac., Sanchez, Pontio, Molfes., Reginald., Petro Lesma, Bonacina, Riccio, Hurtado ibi ab ipso citatis; La Croix, *loc. cit.*, num. 637.